



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.8. Constantinus obit. Leo Imperator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.
A. C. 775.

§. VIII.

Constantinus obit. Leo Imperator.

p. 377.

Theoph.
an. 1.

At Constantinus Imperator his non diu superstes fuit. Nam cum in Bulgaros moveret, carbunculis correptus in curibus, accedente validissima febre, Constantinopolim se deferri voluit, & navem ingressus ubi Selimbriam pervenit, in ea extinctus est decima quarta Sept. anno 775. postquam ab obitu patris sui annos triginta quatuor & ferme menses tres imperasset. Non solum cognomento Copronymus, sed etiam Caballinus dictus. Successit patri Leo filius cognomento *Chazares*, qui annis quinque imperavit. Is sub Regni auspicia pietatem amare, & S. Virginem Monachosque venerari videbatur; imo in primas Sedes Episcopales viros ex ordine Abbatum immisit.

§. IX.

Almanzor moritur. Mahadi Califa.

Elmac. l. c. 3.
Dutych. to.
2. p. 399.

Eodem mense Septembri, anno septingentesimo septuagesimo quinto etiam e vivis abiit *Abujafar Almanzor*, anno Hegiræ 158. sexta die mensis Arabici *Dulbagia*, postquam regnasset annos viginti duos. Is anno Hegiræ 145. JESU Christi 762. in ora fluvii Tigris urbem *Bagdad* illo temporis articulo fatali, quo Astrologi ædificandam esse præstiterant,